Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1665
Quelle:
Copyright:

XXXVIII. *fol.* 255. p. 2. Excerptum de Juramento et habitu Imperatoris ad Pontificem Rom. e Tractatu *de Regimine Christianorum Jacobi de Viterbio* Ord. FF. Heremitarum ſ. *Auguſtini.* Autoris hujus *Jac. Cappoccii* e Sodalitio ſuo primum ad Infulas *Beneventanas*, dein *Neapolitanas* traducti et a. 1308. vivis exemti Opera paene omnia in *Mſptis* latent, quae inter et Tractatus noſter 2. Libris conſtans. *Imperatorem ſe habere ad papam, ſicut manus ſe habet ad caput*, in Excerpto noſtro legas.

XXXIX. *fol.* 256. *Martini* V. P. M. Breve, quo *Johanni* Card. *S. Sixti* legationem ad *Sigismundum* Rom. et *Ungariae* et *Wenceslaum Bohemiae* Reges defert. Datum *Gebennis VI. ydus Julij Pontificatus Anno primo*, id eſt, 1418. incipit: *De ſummis celorum ad yma deſcendens* &c. et legitur *Annal. Eccl. Odor. Raynaldi* T. VI. p. 7. De *Johanne* dicto *Dominici Florentino* O. P. a *Gregorio* XII. ad Infulas *Raguſinas* et Purpuram promoto, *Budae* ante an. 1421. defuncto et inter Beatos culto adi *Actor. SS. T. II. Junii* ad diem 10. p. 394. et *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 768. Nos quoque ejus meminimus.

XL. *fol.* 260. *Alexander etc. Nobiles ac prudentes viri, literas veſtras nobis ad preſens allatas clauſas et apertas ſuſcepimus et earum continencias ſana percepimus racione* &c. Eſt haec Epiſtola *Alexandri*, antequam Sacra Chriſtiana ſuſciperet, dicti *Vitoldi Lithuaniae* Ducis ad Partis *Huſſiticae* Proceres et Magiſtratus *Bohemicos*, qui illi coronam contra *Sigismundum* detulerant, et nunc iterato in regnum invitarant. Negat, ſe unquam pollicitum fuiſſe ad eos proficiſci, ſed frequentibus eorum literis et nunciis permotum, non ſine magnis impenſis miſiſſe *nepotem* ſuum *preclarum ducem Zigismundum* (Koributum) magna cum ſpe, fore, ut per eum ab erroneis ſuis *Articulis* deducti Sanctae *Romanae* Eccleſiae reconciliarentur. Quod ſi *Sigismundus* dux in Conventu *Czaslavienſi* promiſerit, ſe his IV. *Articulis* ſtaturum, id nihil ad ſe. Nunquam ſe id mandaſſe Nepoti, quidquid dicat Nuntiorum aliquis *Hynco de Walſten.* Viſa igitur pertinaci eorum ad praedictos *Articulos* adhaeſione ſe cum Sereniſſimo principe domino *Romanorum Vngariae Bohemiae* Rege fratre et amico cariſſimo concordiam iniviſſe, *Nepotem* revocaſſe domum et, ut ait, cum tota chriſtianitate contra eos ſtare velle. Volentibus tamen ſaluti ſuae conſulere bona officia una cum Rege *Poloniae* fratre ſuo cariſſimo apud Regem *Sigismundum* offert. Nota temporis abeſt; conſulta tamen hiſtorica rerum ſerie ad an. 1427. referenda videtur *Epiſtola*, quae, ut puto, lucem nondum adſpexit, ſervitque ad emendandos eos Autores, qui *Sigismundum Koributum* aut *filium* aut *patruelem Vitoldi* fecere.

XLI.